Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1767
Quelle:
Copyright:

nec non repugnacionis contra delacionem ſiniſtram — in hereticando. Initium: *Univerſis et ſingulis — Nos Magiſter Ciuium — Vniverſitati veſtre preſentibus duximus deferendum* &c. Datae *Anno domini M° CCCC° XIX. Sexta feria poſt Franciſci.* In maximis videlicet turbis *Zizkianis.*

XXIV. *Ibid.* p. 2. Epiſtola bohemice ſcripta absque die et loco, quae tamen ad annum 1420. pertinere videtur, cum, quae *Sigismundi* juſſu hoc anno contra *Huſſitas Wratislaviae* acta ſunt, adtingat. Incipit: *Hotowy vmysl kwasi libosti ſžadosti wſeho dobrebo o patrni muzie pratele wiernie* &c. Id eſt: *Paratus animus veſtrae voluntati cum votis omnium bonorum, providi Viri et Amici fideles* &c. Exhortatur ad fidem chriſtianam, et Communionem ſub duplici ſpecie; invehitur in Concilium *Conſtantienſe* et Papam, ut perſecutores *Bohemorum;* invitat demum ad unionem cum *Pragenſibus*, et mittendos duos de ſuo gremio ad Autorem.

XXV. *fol.* 205. p. 2. Breviora quaedam, videlicet 1) Epiſtola de variis rumoribus circa molimina *Sigismundi* Regis contra Utraquiſtas, cujus initium: *Honorabilis domine Johannes. Sicut heri ſero finito ſermone quedam indicare vobis volui, que indicaui Nicolao carnifici* (lanioni) *oſtenſori preſencium* &c. Scripta eſt *Pragae* ſine die. 2) Provocatio, quae incipit: *Ad honorem omnipotentis dei Petrus payne Magiſter artium pragen. ſtudij nec non et Oxon. nacione Anglicus. Quamuis nunquam magiſtrum Nicolaum Stoyczin prout ipſe Magiſter Nicolaus pretendit ad aliquam kathedram pro replicatione prouocauerit* &c. Citatur itaque *Nicolaus feria V. proxima hora XX. in lectorio replicaturus* contra *Petri* poſitionem *in materia vniverſalium ſuis ſuppoſitis realiter communicabilium et compoſicionum continuorum ex indiuiſibilibus*, non obſtante, ut dicitur, inani praetextu periculi vitae; praeterea culpatur de oppugnatis XLV. Articulis *pretenſe aſcriptis magiſtro Johanni Wikleff, quorum aliquos ſuus Magiſter ſancte memorie magiſter Johannes hus, cuius ipſe olim in Curia Romana fuerat procurator ſcolaſtice tractauerat.* 3) Brevis Narratio bohemica de vita et morte *Joh. Huſſi*, quae infit: *Wnadegi bozi miſtr hus Jan ceſke zemi* &c. 4) *Johannis* VIII. P. R. Diploma de conſtitutione Sedis Epiſcopalis *Prag.* quod incipit: *Johannes — Boleslao Katholice fidei alumno — Juſtum eſt beneuolas aures* &c. et legitur in *Balbini Miſcell. Dec.* I. L. 6. p. 8. 5) *Pſalmi* VI. et XXXI. bohemice redditi, et manu recentiore adſcripti.

XXVI. *fol.* 211. Catecheſis bohemica de Fide, Symbolo, Eccleſia, quae Coetus *Electorum* audit, Amore Dei et Proximi &c. PP. teſtimoniis ſuffulta. Init: *Ze bezwiery zadny nemoz ſpaſſen byti* &c.

XXVII.